



AVIDIVS CASSIVS, in Oriente M. Antonino cum Marcomannis triennio bellum gerente, rebellavit, seque Imperatorem appellavit, suggerente Faustina, mariti valetudinem suspectam habente, velut alii tradunt, ementita morte Antonini. Sed hic statim à Senatu hostis est iudicatus, bona eius proscripta, & in ærarium publicum sunt relata: quoniam in priuatum ærarium Antoninus congeri noluit, statimq; interfectus est. Caput eius allatum Antonino, quod tamen humari iussit, è nihilo latatus, dicens, se voluisse sine Senatorio sanguine Imperium transigere.

Numisma fecit: in cuius altero latere ara, in qua ignis conspicitur. Imperator & alius quidam, ambo togati, aræ adstantes, dextras iungunt, à quorum tergo milites signa militaria ferentes, cernuntur, cum inscriptione: **FIDES MILITVM.**



L. AELIVS AVRELIVS COMMODVS ANTONINVS, ex M. Antonino Philosopho, & Faustina, pridie Cal. Septembris, patre patruoque Coss. natus est. Postquam illius ætas doctrinæ capax fuit, à patre optimis præceptoribus erudiendus traditus est. Sed tantorum virorum conatus ni-